



DIALOGUS PRIMUS,
VERAM ET GENVINAM
librorum Gebri sententiam
explicans.

Demogorgon, Geber.

DEMO: Salve magni Mahumetis sapien-
tissime nepos.

GEBER. Salvum te advenisse gau-
deo, Sed quæ causa est tam longinqui
itineris?

DEMO: Naturalis & innata cupiditas, in-
dagandi, & cognoscendi profundissima naturæ
secreta, quæ divina mente ex abditissimis natu-
ræ arcanis eruta, per te docte quidem & ingeni-
ose literis tradita sunt; Tanta vero sermonis
obscuritate conscripta, ut etiam post gravissi-
mos labores, & singularem studiorum assidui-
tatem, ad verum sensum penetrare, & animi
tui intentionem colligere haud possim. Quam-
vis multum temporis, ad virilem usq; æta-
tem, bona ex parte, in his rebus consumpse-
rim, & in evolvendis tuis scriptis ferè 35 annos
transegerim. Quare jam olim apud me consti-

A

tutum